

PIIS MANIBUS
VIRI
NOBILISSIMI, EXCELLENTIS-
SIMI, ATQUE EXPERIENTISSIMI,
DN. MICHAELIS
ETTMULLERI,
PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTORIS
CELEBERR. FACULTATIS MEDICÆ AS-
SESSORIS GRAVISS. BOTANICÆ PROFES-
SORIS PUBL. ORDIN. ANATOM. EXTRA-
ORD. ET PRACTICI FAMIGERA-
TISSIMI,
IUSTA PERSOLVUNT
IPSO EXEQVIARUM DIE
XIII. MARTII
A. O. R. M. DC LXXXIII.
PATRONI, FAUTORES, COLLEGÆ,
AMICI.

L I P S I Æ,

Typis Viduæ GALLI NIEMANNI

JO. BENEDICT. CARPNOV. D. P. P.

EPITAPHIUM.



Este vel invidiâ nostri Podalirius ævi:
 Aonii pridem gloria summa chori:
 Commatis exemplū rari, secliq̃ve prioris:
 Hic Etmullerus, pulvere merfus, habet.
 Ossa capit tumulus, victuri gloria restat,
 Nominis: ad cælum mens pia fecit iter.
 Da violas, transis qui dura hæc busta viator,
 Et tibi venturam volve revolve necem.

L. JOHANNES CYPRIANUS, PP.

Universitatis Rector.

Quem docto Medicum miratus in urbe Britannus,
 Belgaq̃ve cum Gallo, Romaq̃ve magna Virum:
 Occidit ante diem, ceu flos vernalis in hortis,
 Sedula quem tenui murmure libat apis.
 Feralem hinc lachrymis spargunt communibus urnam,
 Nec se uni credunt solvere justa Viro.
 Ipsa etiam Meditrina, memor virtutis, acerbo
 Se testem, quantum lugeat, ore facit.
 Pro quovis totum monumenta hæcerigit orbem:
 Justa Viro poterant vix meliora dari.

f.
 JO. OLEARIUS D. & PP.
Fac. Theol. b. l. Decanus.

ETTMULLERE Tuam plangit pia turba Sionis,
 Atq̃ve Asclepiades & Medicina simul
 Præproperam mortem! Podalirius Ipse fuisti
 Multis, cur medicam non Tibi fers quoq̃ve opem?
 Scilicet è sacro placet hic Tibi codice Textus,
 Qui reddit causam, vivere cur renuas.
Cuncta Caro fœnum! quid tum; non fido caducis,
Inquis, & in Christo spes ego pono meas.
 Rectè! sic petis astra citò, sic est tua major
Infirmâ MEDICI RELIGIONE Fides.

Ult. hon. ergò

f.
 D. GEORGIUS Lehmann/ PP. & Superint.

Hâc formâ est nobis hic flos virtuteq̃ve notus,
 In feбри hâc vires dant Tibi foena suas,
 Hunc morbum accendunt violæ, narcissus at istum,
 Hæc facit ut stomachus negligat herba cibos.
 Scilicet his memini defunctum vocibus usum,
 Quum juvit foetus tradere, Flora, tuos.
 Sed nunc morte tacet victus, nilq̃ve amplius addit,
 Gramina quæ signent nomina, quisve color.
 Sed fallor. Foenis homines herbisq̃ve caducis
 Exemplò similes sic docet esse suò.

Affini & Collegæ honoratissimo debuit
 JO. BENEDICT. CARPZOV. D. P. P.

Der Medicinische Garten am Fürsten-Hause.

W Ein schwangers Erdreich treibt die Kräuter über sich/
Und Er/ der Kräuter Herr/ versteckt sich in die Erde?
Doch weiß ich/ das auch nichts zur Erd' als Erde werde;
Die Seele/ Nahm und Ruhm steigt höher über Mich.
D. Bal. Alberti.

Ad beatè Defunctum.

Tradebas doctè dextrèqve Machaonis artem :
Ægrotis & opem ferre paratus eras.
Improba sed leti vis! amplius invidet istud
Nobis, quod mediò promptus utròqve dabas.
Invideat. Pars magna Tui post fata manebit
Pro tantò Patriæ munere sancta tuò.

Collegæ desideratissimo m. c. scribebat

Georgius Heinz, D. PP. & Fac. Jurid. Assess.

Non desperatos Medicorum turba sub umbras
Terreni tumuli mittere sæpè solet.
Sed desperati revocati sæpè fuerunt
ETTMULLERE, tuæ dexteritatis ope.
Nunc desperato quia Tu succumbere morbo
Cogeris, in Christum spes Tibi fixa beat.

Debiti honoris testandi causâ apponebat

Andreas Mylius, D. & PP.

Quanta Viri virtus fuerit, quàm clara medendi
Dexteritas, nequeunt verba docere fatis.
Lipsia testis erit: gratus testabor & ispe,
Hactenus afflictum quem Tua dextra levat.

συλλυγέμενος scrib.

L. Anton Günth. Heshusius, PP.

Dum rediviva novas tellus tibi parturit herbas,
Florifera ò nostræ maxime mysta Dea,
Plisimo affinis templo Te flagitat hortus,
Et cultu gaudet germina ferre tuo.
Sed valeant, inquis, valeant Academica tempe,
Florea quæis vernant germina, moxqve cadunt,
Panditur ætherei mihi janua pulchra vireti,
Ver ubi perpetuum est, perpetuusqve viror.

Soteri in terris post DEUM hactenus suo scrib.

L. Joachimus Fellerus, Poët. PP.
& Acad. Biblioth.

Dum quivis hortus, dum quodvis germen in horto
Sugit ab herbofis lac genitale, toris:
Vis morbi, vitæ succum Tibi subtrahit omnem
In cœlo ut vireas viribus ipse novis.

ultimis honoribus

*Excellentiss. D. Ertmülleri, Collegæ desideratissimi
debeb.*

L. A. Rechenberg, PP.

):(2

Beatè

Beatè Defunctus.

Æger eram, morbiq̄ ve vices, morbiq̄ ve tenorem,
Et quibus insidiis serpat origo mali;
Quæq̄ve trahat secum, comites, symptomata; quamq̄ve
Porrigat ancipitem Pharmacopœa manum:
Cuncta peregrinis dudum mihi cognita damnis,
Exemplo poteram jam bene nosse meo.
Cessurum nostris tandem tamen artibus æstum,
Spem dabat, & dubio diua Hygiæa fidem.
Artis at est frustra nostræ fiducia: cunctis
Occidit heu nimium spes ea blanda Bonis.
Parcite Phœbigenæ medicas extollere gazas,
Et contra morbos quoslibet artis opem.
Vis Medici, doctrina, labor, prudentia, cura,
Sedulitas, fato succubere meo.

Ultimo Viri de se longè meritissimi Honori s.


C. P.

Ad Beatè defunctum, Amicum desidera-
tissimum.

Soliterum æquali gressu dum dividit Orbem,
Atq̄ve Helice radios excipit atra novos;
Tu quoq̄ve divideris: mors horrens occupat artus,
Parte tamen repetis Tu meliore Polum.
Absolvis citius cursum, quàm posse videmur
Ferre tuum abscessum, hinc Lipsia nostra dolet.
Ipsa Domus graviter mea fert, cui sæpe fuisti
Afflictæ præfens arte medente tuâ.
Vertice jam nutat toto, lapsumq̄ve minatur:
Et, vereor, post Te certa ruina trahet.

Merens p.

M. Jacobus Gauchius, Scholæ Senat.
ad D. Nicol. ConR.



PIIS MANIBUS
VIRI
NOBILISSIMI, EXCELLENTIS
SIMI, ATQUE EXPER

DN. MICHAEL
ETTMULLER

PHILOS. ET MEDICINAE
CELEBERR. FACULTATIS
SESSORIS GRAVISS. BOTANICAE
SORIS PUBL. ORDIN. ANATOMIAE
ORD. ET PRACTICAE

TISSIMI,
JUSTA PERSONAM
IPSO EXEQUIA
XIII. MAII
A. O. R. M. DC. LXXIII.

PATRONI, FAUTOR
AMIC

LIPSI
Typis Viduae GALLI

